



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

Quòd cæcitas mentis & ignorantia contingunt ex tribus, scilicet ex defectu  
intellectus, voluntatis, vel appetitus sensitiui. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

D. HENRICI HARPHII  
THEOLOGICÆ MYSTICÆ  
LIBRI PRIMI  
PARS SECUNDA.

De animarum vulneribus, quæ eis ex peccato originali inflicta sunt: de earundem creatione, pulchritudine, nobilitate, reformationeque per Christiformes virtutes.

Quod cecitas mentis & ignorantia contingunt ex tribus, scilicet ex defectu intellectus, voluntatis, vel appetitus sensitivi. Cap. I.



**N**ESCIVI anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab. Canticorum sexto. Quasi diceret: Ad perniciosam ignorantiam deveni, quia animalitas, id est, sensualitas mea, totam me turbavit, quod non possum apprehendere lumen veritatis, & attingere amorem suavissimæ bonitatis. Et hæc propter quadrigas Aminadab, quod interpretatur, populus

Quadrige: Aminadab quid mystice.

meus spontaneus, cursum scilicet propriæ voluntatis, & mundanæ vanitatis amplectens, cum his, qui apud Hieremiam, dicente Domino: *Revertatur unusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras*, scilicet in bonis vos exercendo, & *studia vestra*, scilicet de talibus meditando, protinus eidem responderunt: *Desperavimus, contemnendo scilicet reverti. Post cogitationes nostras ibimus, & unusquisque pravitatē cordis sui malifacimus.* Unde quia nescierunt, neque intellexerunt præterita, præsentia & futura, ideo *intenebris ambulant. Excæcavit enim eos malitia eorum, nolentes intelligere, ut bene agant.* Et horum currus quatuor rotas habent, quibus vehuntur in profundum malorum, quæ sunt delectatio peccandi, spes diu vitendi, pudor confitendi, & timor fatisfaciendi. Ad maiorem tamen evidentiam notandum, quod cecitas mentis ex originali peccato traxit originem. Nam ante peccatum homo clarum intellectum habuit: sed hoc lumen intellectus post lapsum

Hier. 18.

Psal. 8.

Sapient. 2.

Cæcitas mentis.

sum in nobis est obfuscatum propter delectationem inferiorum, qua  
 natura corrupta miserabiliter allicitur, & abducitur. Hac enim dele-  
 ctatio intentionem applicat ad ea, in quibus quis delectatur: & sic ho-  
 minis operatio circa intelligibilia debilitatur. Nam sicut cognitio sensi-  
 tiva circa qualitates sensuales exteriores occupatur, sic intellectiva  
 cognitio penetrat usque ad essentiam rei, quia intelligere est quasi in-  
 tus legere. In primo natura corrupta miserabiliter occupatur, sed ob-  
 fuscatur in secundo. Vnde lamentatur Sapiens, dicens: *Solummodo hoc*  
*inveni, quod fecerit Deus hominem rectum: & ipse se in finibus miseravit qua-*  
*estrationibus.* Vnde post casum humana natura retinuit intellectum obfu-  
 scatum, & affectum corruptum, & ad omne malum proclivum. Hinc  
 multi sunt, qui, secundum Apostolum, *Veritatem Dei in iniustitia de-*  
*tinent*, quæ quæquam in se est semper est parata se manifestare: sed ma-  
 litiæ hominum impedit in eis hanc manifestationem, & sic eam quo-  
 dammodo detinent, sicut aquæ cursum impediens, dicitur eam deti-  
 nere. Vnde dicit Alexander de Hales ibidem, quod ille *veritatem in*  
*iniustitia* detinet, qui operatur contrarium eius, quod habet in cogni-  
 tione. Nam veritas cognita manifestatur in opere. Qui ergo non solu-  
 non operatur, quod cognitio suadet, sed etiam operatur contrarium il-  
 lius, veritatem cognitam detinet, & quasi violentat, ne in opus pro-  
 rumpat. Et de talibus prosequitur Apostolus, dicens: *Obscuratum est*  
*inspiciens cor eorum*, iusto scilicet Dei iudicio. *Dicentes enim se esse sapi-*  
*entes*, scilicet temporaliter ad faciendum malum, *stulti facti sunt*, spi-  
 ritualiter ad faciendum bonum, nimirum cum eos iam actualis ma-  
 litiæ eorum excecavit. Quæ cæcitas contingit ex voluntate auertente se  
 voluntariè à consideratione primi principij. Cæcitas enim mentis est  
 privatio eius, quod est principium mentalis, seu intellectualis visionis,  
 cuius est triplex principium. Vnum est lumen naturalis rationis, quod  
 licet non privatur ab anima, quandoque tamen impeditur ab actu  
 proprio per impedimenta virium inferiorum, quibus indiget intelle-  
 ctus humanus ad intelligendum, ut patet in amebis & furiosis. Aliud  
 est lumen aliquod habituale, naturali lumini rationis superadditum,  
 quod quandoque privatur ab anima, cæcitatem causans, iuxta illud:  
*Excacavit eos malitia eorum.* Tertium est aliquod intelligibile primum,  
 per quod intelligit alia, cui mens hominis intendere potest, vel non  
 intendere. Et quod ei non intendit, ex hoc contingit, quod habet vo-  
 luntatem se spontaneè auertentem à consideratione talis principij iuxta  
 illud:

Eccle. 7.

Rom. 1.

Ibidem.

Cæcitas  
mentis quid.Principium  
intellectua-  
lis visionis  
est triplex.

Sap. 2.

Illud: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* vel propter occupationē mentis circa alia, quæ magis diligit, quibus ab inspectione huius mens aueritur, iuxta illud: *Sapere cecidit ignis, scilicet concupiscentia, & non viderunt solem iustitie.* Unde quamuis homo naturaliter habeat appetitum boni, tamen e contra sepius eius appetitus declinat ad malum: & hoc contingit ex deordinatione in aliquo principiorum hominis. Pro quo nota, secundum sanctū Thomam prima secundæ, quod principia humanorum actuum sunt intellectus & appetitus: tam rationalis, (quæ dicitur voluntas,) quam sensitivus. Peccatum igitur in humanis actibus quandoq; contingit ex defectu intellectus, cum scilicet quis per solam ignorantiam peccat. Quandoq; verò ex defectu appetitus sensitivi, ut cum quis ex passione peccat. Est autē passio quidā motus vehemens appetitus sensitivi, quæ nos infirmitatē animæ nominare possumus, sicut Tullius animæ passiones vocat ægritudines, quib; anima præditur ab ordinatione propria propter inordinationem partium eius: quia vis concupisibilis & irascibilis extra ordinem rationis afficiuntur aliqua passione, quib; ipsa voluntas impediri seu inordinatē moveri potest, saltē indirectē in actu suo: & hoc dupliciter. Vno modo secundum quandam abstractionē. Cum enim omnes potentie animæ radiceantur in vna essentia animæ, necesse est quod quādo vna potentia intenditur in actū, altera remittatur, vel totaliter impediatur in actu suo, quia omnis virtus ad plura dispersa fit minor: & quādo intenditur circa vnū, minus potest ad alia dispergi, quia in operationibus animalibus animæ, quædā intentio requiritur, quæ dum vehementer ad vnū applicatur, alteri vehementer attendere non potest. Et secundum hunc modū per quandā distractionē, quādo motus appetitus sensitivi fortificatur secundum quācumq; passionē, necesse est quod remittatur, vel impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui est voluntas. Alio modo ex parte obiecti voluntatis, quod est bonū ratione apprehensum. Impeditur enim iudiciū, & apprehensio rationis propter vehementē & inordinatā apprehensionē imaginationis sensitivi, sicut iudiciū gustus sequitur dispositionē linguæ. Hinc videmus, quod homines existentes in aliqua passione, non faciliter auerunt imaginationem ab his, circa quæ afficiuntur: & per cōsequens, iudiciū rationis plurimum sequitur passionē appetitus sensitivi, quia talis passio causat quandā immutationem corporalem, ex qua ratio quodammodo ligatur, nē liberē in actum exeat, sicut etiam somnus vel ebrietas,

Pia. 35.

Psal. 57.

Peccatum  
quomodo  
fiat.Passiones  
animæ.Vires quomodo  
impediuntur, &  
ad peccatū  
trahantur.

facta quadam corporali transmutatione, ligant usum rationis. Et quod hæc contingant ex passionibus, patet ex hoc, quod aliquando passiones scilicet amoris, iræ, tristitia, & similia in tantum intenduntur, quod homo totaliter usum rationis amittit, & in insaniam vertitur. Cum igitur iudicium rationis sequitur passionem appetitus sensitivi, consequens est, ut etiam motus voluntatis, qui natus est sequi iudicium rationis, sequatur etiam passionem appetitus sensitivi; sicut legitur apud Danielem de iudicibus inueteratis *dierum malorum*:

Dan. 13.

*Concupiscentia subvertit cor tuum.* Cui proprie convenit illud Proverb. cap. 11. *Circulus aureus in naribus suis, mulier, id est, anima; pulchra, conditione naturæ; & fatua, perpetratione culpæ.* Et talis anima & sus comparantur: quia sicut sus naribus suis nullam immunditiam prætere intactam; sic diabolus in ea nullum peccatum relinquit intactum, cogitatione, delectatione, consensu, verbo, vel opere. Tertio denique, peccatum contingit ex defectu voluntatis, quæ est inordinatio ipsius, cum scilicet minus bonum adeo diligit, quod maius bonum contemnit. Unde inordinatus amor sui, includens in se inordinatum appetitum boni, est causa omnis peccati. Et talis dicitur ex malitia peccare, id est, ex electione mali, non ex habitu vitioso, qui illum compellat, & ex prave consuetudine quodammodo cogat, sed ex spontanea quadam electione mali; quia *non est timor Dei ante oculos eius, nec peccata ponderat, sed quasi vilipendit.* Cui dicitur in Psalmo: *Dilexisti malitiam super bonitatem, &c.* Et sic accipitur hic malitia pro quadam pravitare voluntatis ad malum.

Psal. 15.

Psal. 51.

*De ignorantia, quam perniciosa est, & unde oritur: ac de otioso, desidio, & de macula anime. Cap. 17.*

Anima  
pulchritudo  
quid sit.

**I**gnoraste o pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum. Cant. 1. Quali diceret sponsus: O sponsa, cupis pastum & quietem, alioqui times discessum & evagationem. Sed *si ignoraste*, id est, tuam nobilitatem, cum quaris ubi habitem, quia apud te habito per gratiæ infusionem, & Eucharistiæ communionem. Siquidem deliciosum est mihi esse cum filiis hominum, cum sis *pulcherrima* omnium creaturarum. *Pulchra* quidem, peccata deserendo; *pulchrior*, mundum contemnendo; *pulcherrima*, mihi amorosè adhaerendo. *Pulchra*, per honestam conuersationem; *pulchrior*, per conscientiæ purificationem; *pulcherrima*, per caelestium